Medicina

Carmelin Joan: Quaestio medica de arthritide. Cracov. Typ. Univ. 1749.

Moaye. 1458.

✠

LAUDETUR JESUS CHRISTUS

QUÆSTIO MEDICA.

De

Arthritide

SUB FELICISSIMIS AUSPICIIS *MAGNIFICI PERILLUSTRIS, & ADMODUM REVERENDI DOMINI,*

D. M. CASIMIRI PAŁASZOWSKI,

Sacræ Theologiæ DOCTORIS & PROFESSORIS, Ecclesiarum Collegiatæ S. FLORIANI ad Cracoviam Clepardiæ CUSTODIS, Parochialis in Czerniechow CURATI, Canonizationis B. JOANNIS CANTII PROCURATORIS, Scholarum Novodvorscianarum & Contubernij Hierosolymitani PROVISORIS, Studij Generalis Universitatis Cracoviensis Vigilantissimi

RECTORIS.

Pro Loco

Inter Clarissimos & Excellentissimos DD. Medicinæ Doctores, & Professores, in Alma Universitate Studij Generalis Cracoviensis obtinendo.

A

M. JOANNE CAMELIN,

Philosophiæ & Medicinæ Doctore.

Publicè ad disputandum

PROPOSITA.

Annô Domini 1749. Die 2 *Mensis* Xbris

CRACOVIÆ TYPIS UNIVERSITATIS.

QUÆSTIO MEDICA.

U. Arthritis quæ est dolor circa articulos, eorũq; ligamenta membranosa, atq; nervosa, pungens, lacerans, pulsans, & per periodos invadens, motum impeditum vel abolitum efficiens, plus minus ardorem, plus minus tumorem, cum vel sine inflammatione, aliisq; sympthomatibus conjunctum habens. Eaq; fixa, vel vaga, Universalis, vel Particularis, Hæreditaria vel Adventitia, ab humore acri, bilioso, & volatili sui generis, aut acido, vel fixiore, diversimodè nerveos villos suâ acrimoniâ vellicante, nunc verò suo lentore & visciditate indolem & figuram minimorum nervosorumq; vasculorum in corpore vitiante, & à viscerum primæ & secundæ coctionis debilitate aut fermentorum Dyscrasia, chylum non ritè elaborantium, & separantiũ ortum ducens, Per Chirurgiam Pharmaciam & Diætam sit curabilis nec ne?

CONCLUSIO I.

Arthritis est dolor circa articulos, eorumq; ligamenta membranosa, atq; nervosa pungens, lacerans, pulsans, & per periodos invadens, motum impeditum, vel abolitum eorundem articulorum producens, plus minus ardorem, plus minus tumorem, cum vel sine inflammatione, aliisq; plurimis sympthomatibus.

COROLLARIA.

I. Circa ligamenta articulorum Machinæ corporeæ humanæ membranosa atq; nervosa, dolor excitatur.

II. Particulæ acrioris humoris atq; sui generis, hoc est sive Alcalinam, sive naturam acidam habentes, dum exaltantur, aut comprimunt aut dilatant diametrum porulorum, exinde nervearum fibrarum irritatio.

III. Humores dantur in corporibus nostris.

IV.

IV. Datur Lympha inter humores in corpore nostro existentes, quæ Lympha est humor, seu tenuior sanguinis portio & quæ simplex aqua non est, cum in se sal & alia contineat.

V. Sal Alcali & acidum in humoribus fermentis & fluidis continetur, naturalemq; eorum crasim vitiare aptum est.

CONCLUSIO II.

Arthritis est fixa, vel vaga, Hæreditaria vel Adventitia, Particularis vel Universalis.

COROLLARIA.

I. Ex Arthriticis Parentibus, nascitur Arthritica Proles.

II. Datur Universalis & Particularis Arthritis, Hæreditaria, vel Adventitia, fixa, vel vaga.

III. Adventitia Arthritis ex causis variis in corpore humano datis producitur.

IV. Quælibet Arthritis sua habet tempora, quibus gravius exasperatur tùmq; sexum magis virilem, quàm fœmineum affligit, Infantes vix aliquando molestat.

V. In tota massa sanguinea suo modo vitiata Arthritidis causa hæret.

CONCLUSIO III.

Causa Arthritidis est humor, seu lympha, acris, biliosa, volatilis sui generis, aut acida & fixior, diversimode nerveos villos sua acrimonia vellicans, nunc verò suo lentore & viscidicate indolem & figuram minimorum nervosorumq; vasculorum in corpore vitians, & à viscerum primæ & secundæ coctionis debilitate aut à fermentorum Dyscrasia chylum non ritè elaborantium & separantium, ortum ducens.

COROLLARIA.

I. Viscerum primæ, & secundæ coctionis vitium repetendum est vel à solido, vel à liquido.

II. Inducitur vitium ratione solidi, hoc est textura ventriculi, cùm sit textura illius debilitata in laxitate fibrarum peccans.

III. Liquidum seu fermentum ventriculi, vel in qualitate, vel in quantitate considerandum est.

IV.

IV. Ubi solidum vel liquidum peccat, impossibile est ut Chylus ritè elaboretur, tunc enim tam vasa lactea, quàm glandulæ Mesenterii, tum ductus Thoracicus, per quæ vasa chylus transit deferendo particulas pravas, vitiant sanguinem, illiusq; lymphâ ex quo sanguis & lympha impura seu vitiata redditur, mēbranosas nerveasq; partes circa interstitia articulorū lædēs.

V. Causæ remotiores si respiciantur, illæ præter alias sunt Bacchus, Venus, & Ira, quæ Arthritidem sæpe producunt.

CONCLUSIO IV.

Arthritis est curabilis per Chirurgiam, Pharmaciam, & Diætam.

COROLLARIA.

I. In principio Arthritidis si febris adsit, vel vehementes dolores, inflammationem minantes, vel aliqua naturalis evacuatio suppressa fuerit, Venæ sectio instituatur, per hanc etenim gravioribus malis occurritur, & morbus abbreviatur, ut Praxis sæpe docet, Cataplasmata & unctiones dolorem mitigantes, emollientes, & discutientes locum habent Balsamus Arthriticus Fullerii pro specifico habetur, quò ad vesicatoria praxis docebit.

II. Arthritis præter externa remedia etiam curatur per blanda Diaphoretica, transpirationem promoventia tum Diuretica, sed cautè consideratis circumstantiis.

III. Arthritis fixa vel vaga, Hæreditaria vel adventitia, quæcunq; sit Dogmaticam curationem expetit, nam diversitati causarum est attendendum, Tophacea, & Hæreditaria, vix vel raro curatur. In curatione autem Arthritidis, viscera primæ & secundæ coctionis, seu potius in his vitium quo ad solidum & quo ad liquidum est respiciendum hinc corroborantia, tandem sanguinem dulcificantia, motum naturalem circulatorium totius massæ sanguineæ respicientia medicamenta sunt necessaria, usus medicamenti purgantis, potius præservativè quàm curativè præscribatur. Aqua millepedum, cerevisia Arthritico-antiscorbutica, Decocta, Essentiæ, Herbæ vel maximè Antiscorbuticæ temperatæ & similia, sunt necessaria.

IV. Cura lactea in hoc morbo potest esse in usu sed consideratis diligenter omnibus circumstantiis morbi, & temperamenti, ubi legatur Ettmulerus, Waldschmidius, Joannes Dolæus & alii de hac cura.

V. Quo ad Diætam quæ multum juvat in hac affectione, hæc consistit, in jusculis cum herbis alterantibus, Antiscorbuticis, temperatis mane & vespere sumendis, potus ordinarius sit cerevisia bene defæcata, lupulo cocta, vel decocta Antiscorbutica ut in præcedenti corollario. Abstinentia omnis rationabilis in hac affectione juvat Patientes & inter alia, Pathemata animi vitanda, & sanus àer eligendus.

Permissu Magnifici Domini Rectoris.